

promittimus nos usque dum in Ducatu vixerimus servaturos exceptis expensis quas in regimine Venetiar. facere non debemus, nisi sicut superius continetur, et excepto si erit aliquis, qui nobis fidelitate nō teneatur, cui si requisitus eam nō fecerit, rationem facere nō teneamur.

Non pretermittendum est quod novem marclas argenti dare debemus ut ex ipsis fabricentur tres tube, que ad honorem Ecclesie beati Marci post nostrum decessum apud procuratorem operis ipsius Ecclesiae remaneant comendate.

In nostra potestate remanet dandum cui voluerimus camere nostri palatii, que habent hostia de foris et nos debemus facere cohoperiri totum palacium nostrum nostris expensis, ubi, et quando necesse fuerit, salvo quod si tales persone ibi starent, que nostro consilio non placerent, eis tenemus dare comitium in voluntate Consilii nostri et locare in ipsis illos, quos voluerit maior pars nostri Consilii.

Et debemus dare infra annum unum post introitum nostri regiminis beato Marco nostro Apostolo et Evangeliste unum pannum laboratum ad aurū valoris a lib. danarior. Veneciar. XXV supra.

Item eciam tenemur dare operam sicut modo tenentur consiliarii nostri, aut de cetero tenebuntur alii consiliarii nostri, qui in tempore nostri regiminis de cetero intrabunt, quod mille modia frumenti in Venec. faciemus venire per mare cū bono Venec. bona fide, sine fraude, et alia mille modia frumenti modo consimili, nisi remanserit per nos et maiorem partem Consilii maioris et minoris et quadraginta.

Preterea tenere debemus nobiscum servitores viginti computati in ipsis ministrantibus ad coquinam, quor. viginti, si quis defecerit vel recesserit a nostro servicio bona fide sine fraude alium suo loco infra unum mensem recuperare debemus.

Bullam nostri Ducatus non consenciemus servandā et exercendā, nisi uni ex nostris servitoribus, quem ex legalioribus nostris crederemus esse.

De sigillatura litterar. a Venetico nō faciemus tolli, nisi denarios II. parvulos, et a forinseco soldos tres, salvo quod si bullata fuerit littera aliqua alicuius magni negotii, quod nostri consiliarii possint licentiare bullatorem amplius tollendi, ut nobis et eis videbitur. Illum autem quem carceris custodem